



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

XV. Obedientia non excludit, quo minus quid superiori à subdito possit proponi, & quis in proponendo modus seruandus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

1. Reg. 24.
5.

Parce fa-
me supe-
riorum.

Gregor. in
Registr. lib.
12. 31.

Exod. 22.
28.
Dius non
detrahes.

Murmur
famam de-
terit supe-
riorum.

Heb. 12. 15.

Lenia etiã

postea penituisse, & doluisse, Percussit, inquit, cor suum David, eò quod abscidisset oram chlamydis Saul; pari modo, inquit, ille Pontifex, quilibet bonus subditus, qui Christum Dominum in superiore agnoscit, facere debet, nec linguæ suæ nouacula ejus vestem præscindere auctere: sed, si interdum vel ex incuria, vel infirmitate vel præcipiti aliqua passione impellente, aliquam ejus perfectionem commemorando proferat, statim ad seipsum, Davidis exemplo reflexione facta, indolere & compungi, quod vestis superioris oram contingere sit ausus, etsi alioquin imperfectio parua sit & minuta. Et adnectit commuæ illud Pontificum dictum, Facta superiorum oris gladio ferienda non sunt; quamuis reprehendenda videantur: nam qui ea & faciunt, & fieri jubent, Dei locum & vicem suppleant. Atque ideo ipse Dominus olim præcepit: Dius non detrahes. Deos ecce eos nuncupat, & ut tales coli vult, & honorari. Addit insuper, quod dictum alibi, non injuriam solum Deo & superiori per hoc à murmurante fieri, verum etiam subdito, apud quem isthæc murmuratio profertur, non parum damni inferri: hoc namque pacto superioris auctoritatem deterrit, & bonam opinionem & æstimationem, quam alter de eo habebat diminuit; & in causa est, ut ab eo fiat alienior, & amoris affectus intepescat.

Quare sit ut obedientiæ auctoritas & robur summoperè eneruetur: atque id esse causa solet, cur alius ille nullum sit fructum collecturus ex eo quod superior illi dicet aut faciet: quod est, illi januam ad omnem profectum, qui superioris adminiculo parandus est, occludere. Quamobrem, quocunque rem modo intueamur, serio ab hoc nobis caueamus oportet, ne tantum bonum per nos interuertatur, juxta illud Apostoli, Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, & per illam inquinentur multi.

Est autem hic sedulo aduigilandum,

etiam in rebus leuibus & paruis: neque enim leue & paruum erit superiori amor, æstimationem, opinionem, fiduciam, quam tertius ille de eo habebat, derogare, quod ex hujusmodi murmurationibus & oblocutionibus sequi solet. Atque hoc est, quod maximè in illis spectandum est, non tantum vtrum id quod dicitur, ex se graue sit vel leue.

CAPVT XV.

Obedientia non excludit, quo minus quid superiori à subdito possit proponi, & quis in proponendo modus seruandus sit.

NON solum vitiosum non est, vel imperfectio, superiori suas rationes, proponere, verum etiam majoris perfectionis: Imo malum foret suo eas tempore non proponere. Vnde id etiam nos particulari quadam regula, signanter facere præcipimur: ut nimia sollicitudo in iis qua ad corpus pertinet, reprehensibilis est: ita cura moderata tuenda ad diuinum obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda est: & ea de causa cum animaduertentur aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse, circa victum, vestitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & sic de aliis rebus, admo-neant omnes ea de re superiorem, vel quem ad id superior constituerit. Non sine ratione hanc nobis regulam S. N. P. præscripsit. Licet enim verum sit præcipuam rerum ad valetudinem corporis spectantium curam, atque adeo in suo modo totam ad superiores pertinere debere; quia, tamen homines sunt, non Angeli, ac proinde scire nequeunt, vtrum aliqua re, præter ea, quæ in communi omnibus præbentur, ipse priuati-

uatim opus habeas, omniumque particularitatum non possunt recordari; hinc necesse te est, ijs hac in parte aliquatenus opitulari, hanc ipsis in mentem & memoriam reducendo, ut eam queant procurare. Sed videndum hic, ut eò, quò oportet modo id ipsum proponatur; quia periculum est, ne se amor proprius ac iudicium aliquando admisceant: proinde ut in hoc sine vilo scrupulo & securè procedamus, duo seruari oportere, Beatus Pater ait: *Primum, ut antequam ad Superiorem quid referant, se adorandum recipiant, & post orationem si senserint rem deferendam ad Superiorem, id faciant.*

Non id ita intelligendum, quasi tibi salutationes aliquot Angelicæ antecitanda sint, ac deinde ex abrupto proponendum, quod in mentem inopinato veniet: sed per eam quam antè propositionem fieri vult orationem intelligit, ut primum tecum ipse in quiete perpendas & examines. Num ad maiorem Dei gloriam sit futurum, istud proponere, vel num in eo te ipsum quæras. Nam si posteriori hoc intento moneri te sentis, minimè res erit proponenda: at si in maiorem Domini Dei fore gloriam credas, Superiori eam proponere ne dubites.

Alterum quod spectandum monet, est. *Ut cum verbo aut scripto brevis (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, & totam curam rei exposita relinquunt: & quidquid ille statuerit, optimum ducant, nec contendere aut urgere per se vel alium (sive concedatur, quod petitur sive non) pergant, quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium, ac suum maius bonum, quod Superiori re intellecta visum fuerit.*

Adeò ut tam antè quam postquam rem proposueris & repræsentaris, magnam quandam præferre indifferentiam debeas, non solum quoad ipsam executionem, ut videlicet rem, de qua agitur æquanimitè vel concessam admittas,

Rodriguez exercit. pars 3.

vel negatam dimittas, verum etiam in id, tanquam melius ducendo & existimando, quod Superior circa eam decreverit.

Præcipuum quod in hac propositione spectandum venit, est, ut adeo indifferens quis sit in eo quod petit, ut æquè contentus & quietus sit, siue id concedatur, siue negetur. Atque hinc liquidò patebit, purene Dei gloriam, an vero se ipsum quæserit. Nam si Dei voluntatem & gloriam pure quæsit, gaudebit omni eò, quodeunque demum Superior decerneret: cum jam prænorit hanc Dei voluntatem esse, ore Superioris declaratam.

At si, dum petita negantur, in animo conqueritur, reluctatur, & murmurat; signum est eum indifferenter se non habuisse, nec pure in ijs Deum, sed se ipsum & proprias comoditates spectasse. Nam ideo animo dejectus est, & turbatus in torsus, quia petitorum non est factus compos.

Proinde id potissimum quis ex ea oratione, quam ante rei declarationem instituit, elicere debet, videlicet, ut ita se ad quilibet, quod à Superiore respondebitur, indifferentem ostendat, ut perinde se habeat, siue res postulata sibi concedatur, siue denegetur. Atque hæc est optima, quam adferre quis queat hanc propositionem faciens dispositio: nam ita fiet, ut tam eum delectatura & satisfactura sit denegatio, quam concessio. Consultum quoque foret, ut, cum postulata jam conceduntur; reflexione ad se facta, videat, num si sibi denegata fuissent, æquè contentus fuisset: id namque valdè bonum signum erit, quare tunc quietus & securus esse potest, se in rei concessione non suam, sed pure Dei Opt. Max. voluntatem facere.

Dico, ergo hoc modo rem aliquam Superiori proponere, adeo non obedientiæ perfectioni aduersari (cum indifferentiam & resignationem non excludat) ut maiorem etiam perfectionem ac mortificationem patefaciat, ipsum vero non

Aa

propo-

*Rationes
suas celare,
culpabile,
esse potest.*

proponere (præterquam quod inobedi-
entia sit, signanter & directè regulæ præ-
missæ repugnans) imperfectionem esse
contra se re quapiam opus habere; & Su-
periori id non declarat; sed sic secum ra-
tiocinatur: si hoc mihi detur, bene
habet; si minus etiã bene: atque
id fortasse putabit, mortificationis spe-
ciem, vel patiendi desiderium esse, ali-
ud tamen non est, quam mera immorti-
ficatio & voluntas non patiendi, ma-
jorem namque difficultatem & animi re-
pugnantiam sentit in eo ad Superio-
rem referendo & declarando, quam
in patiendo eo, quod patitur, credens
nimirum à Superiore habendam se, vt
hominem de se, suisque commoditati-
bus, nimio perè laborantem. Id quo-
que interdum est, immortificatio e ca-
rentia indifferentiæ promanans: dum sic
apud se reputat: Nuper nescio, quid Su-
periori meo proposui; ipse verò ad eò id
mihi non concessit, vt etiã præfractè
& durè responderit, vnde mecum strui,
ex inde cum amplius, non aude; quid ab
eo petiturus, nisi dum plane eo carere ne-
queo. Omnia verò hæc inde ortum ha-
bent, quod indifferenter te in decla-
rando non geras, nec satis tibi constan-
tiæ aut virtutis sit ad negantis vultum
verbaque sustinenda, ideoque pati
rem maui, quam proponere. Con-
sideremus hic oportet, tum dæmonis
fraudem, tum propriæ nostræ volunta-
tis tobur, vt potè quæ facit, vt eam,
quam habemus necessitatem e propria
voluntate pati velimus, imo & pati
malimus, quam ad Superiorem eam
referre, quod vereamur, ne id quod
petimus, nobis denegetur. Quod et-
iam in amoris proprii, & propriorum no-
strorum commodorum terminis ac ma-
teria error insignis est & cæcitas. Quia,
demus, ipsum nobis à Superiore nega-
tum iri, & prout tunc tibi singis pesti-
mum postulationis tuæ successum fore;
an non tamen melius foret, id-

*Via volun-
tatis pro-
pria.*

ipsum quod modo pateris, tunc exo-
bedientia & Deo volente, quam e pro-
pria tua voluntate (vt iam pateris) pa-
ti? Cærum est, quod sic. Idque eo et-
iam magis, quod nigne tibi ex eo meri-
tum accederet, quod ipsum propolueris,
& regulam tuam seruaueris: (e quo sa-
nè tibi non parum boni sequeretur) nec il-
læ tibi timendæ essent inconuenientiæ,
quæ postquam rem propolueris, ex ea
consequi possent: illa quippè tunc non
tibi annumerabuntur, vt annumeraren-
tur, si ipsam non propolueris, sed ratio-
nibus, tum Superioris, tum Dei, qui te
per illum regit & gubernat, adscriben-
tur. Vt autem omnia hæc inconuenien-
tia caueantur, & ab omni, quæ in eo no-
bis occurrere possent, difficultate & con-
fusione liberemur, B. Pater nobis regu-
lam quandam particularem circa hoc tu-
lit. Qui enim facit, quod per Regulam
suam facere iubetur, quid est, quod ti-
meat, quid est ob quod erubescat? Supe-
riori sanè displicere non potest, sed im-
moperè placere, quod regulæ quis suæ
exactus sit obseruator. Ad hæc rei huius
vltus & praxis, quæ in societate tam com-
munis & ordinaria est, vt nimirum etiam
in rebus minutissimis ad Superiorem re-
curratur, hoc ipsum per facile reddit, tu
proinde vide, ne per tuam id tibi immor-
tificationem difficile fiat.

Vniuersa huius materiæ cardo in eo
vertitur, vt ea qua oportet indifferentia
& resignatione, res Superiori propona-
tur: quod ipsum vberius paulo jam est
demonstrandum. Qui ergo quid pro-
ponere volet, videat oportet, ne aliquam
antè determinationem, ac velut præju-
diciū faciat, cogitans, id ipsum optimum
ac conuenientissimum esse: hoc namque
caussa erit, cur postea in quietetur ac ten-
teretur, si secus ac purarar, eueniat. Sed
semper ad ea mente dubia, ac velut in æ-
quilibrio posita magna cum iudicii in-
differentia Superioris resolutionem ac
determinationem expectans: ita fiet, vt
quodcumque demum Superior decernat,
ei acquiescat, & in eo penitus conquies-
cat.

Simile.

est. Ac veluti, dum discipulus aliquis
 præceptorem adit, speculativi cujusdam
 conceptus ac dubij resolutionem postu-
 laturus, ea, quam accipit, responsio-
 ne contentus & quietus manet; quod
 adierit, velut discipulus, & cum du-
 bio, eum, qui suus magister est; ita-
 que id velut verum, ac genuinam du-
 bij sui solutionem admittit: Pari mo-
 do dubia sua practica, quæ sibi interi-
 dum occurrunt bonus obediens Superi-
 ori proponere debet; incertus scilicet
 ac dubitans, utrum magis conveniat,
 & non magis in hæc, quam in illam
 partem propendens; usque dum Superi-
 or ipse declarat, quid sequi & fieri o-
 porteat; atque istud habere, ut optimum
 & certissimum, nec non, ut tale ipsum se-
 qui, eoque magis contentus esse. Adeo,
 ut in oratione, quam ante propositionem
 quis instituit prædeterminare non
 debeat, hoc vel illud ad Dei gloriam con-
 veniens esse; sed duntaxat statuere,
 par & conveniens esse ipsum Superiori
 declarare, in eoque proponendo sibi per-
 suadere, non se ipsum se, sed tutam Dei
 gloriam querere; interim tamen semper
 anceps & irresolutus manere; nam res
 in seipsa contentus sit, an non, donec
 postea Superior resolvat ac determi-
 net.

Præsum
magni mo-
menti.

Est hoc, quam maxime notandum,
 hinc namque & bona propositio & ani-
 mi illa tranquillitas, quæ ex eo quodcum-
 que Superior respondebit, sequitur, pro-
 fus dependet. Et quoniam res hæc tam
 frequens & vitata hic in Religione est,
 permagni refert eam, prout oportet, fac-
 cere nosse; & maximum esset Religio-
 nis detrimentum, & in primis dolendum,
 si in ea re in tantum degenerarem, vix
 ut quidquam Superiores subditis hodie
 negare possint, quin statim inde amari-
 tudines, differentias; & querelæ sequan-
 tur, quasi non diligantur, quin imo sibi
 persuadeant, & fortasse obloquendo
 murmurandoque palam dicant, Superi-
 orem rigidum ac durum esse, nec vlli
 velle condescendere. Profecto si æqua-

nimiter ferimus, nobis à Patribus nostris
 naturalibus multa, quæ ab ipsis petimus,
 negari; ita ut propterea eos ceu senecos
 non sugillemus, aut de debito ipsis a-
 more quidquam remittamus; & qui-
 dem tum, cum propriæ voluntati bellum
 inducere, aut de nobis ipsis victoriam
 refectre non propositum fuit; multo sane
 hæc nos æquius erit erga Patres nostros
 spirituales benevolentiam ostendere; &
 quidem modo, cum propriam volunta-
 tem frangere & curiæcere profitemur. A-
 pud præcos Religiosos moris erat, ut
 quando data opera, subditis Superiores
 petita qualibet negarent, essi hæc alio-
 quin sine vilo suo incommodo & damno
 possent concedere; eo duntaxat fine, ut
 illos in mortificatione exercerent; &
 petitorum negationem equanimiter fer-
 re assuescerent. Subditi vero, quæ ipsis
 voluntatis pessumdanda occasio offerre-
 batur; æquamente & hilari, ex nimis
 profectus in spiritu desiderio tam admit-
 tebant.

Simile.

Veteræ co-
nobitarum
mos.

Quid ergo foret, si non solum hæc ve-
 rum etiam id, quod nobis minime con-
 venit; hodie nobis negari non posset,
 quin statim aliquæ inde amaritudines &
 querelæ orirentur? Quid etiam, si in
 causa id foret, ut Superiores interdum
 subditorum voluntati condescendere
 cogerentur, petita illis majoris mali evi-
 tandi gratia, concedendo? Quod profes-
 to, ut ante diximus, Religioso apprimè
 timendum est.

Cap. 4.

Ut porro isthæc propositio majori per-
 fectione instituat, ea, quam diximus
 indifferentiæ & resignationis non interius
 tantum homini habenda, verum etiam
 exterius verbis, & ipsa proponendi mo-
 do patefacienda est; ut nimirum verba
 desiderii respondeant, & id quod exte-
 rius est interiori operi præster. Atque il-
 le demum bonus proponendi modus est,
 qui interiorem, quæ in animo latet, in-
 differentiam & resignationem declarat;
 & quod eam magis declarat, eo erit perfe-
 ctior. Si quis autem ita rem ad Superiorem
 referret, ut ac hinc quidem inteligeret, quo

Indifferen-
tia etiã hæc
foris exhibenda.

proponens inclinet, sed ratione subditi-
 jam audita apud se dispiciat, quid fieri
 conueniat, esset hæc optima proponendi
 ratio. Hinc porrò id facili negotio
 intelligitur. Regula quædam provincialis sic
 habet. *In proponenda re de qua deliberandum est cum consultoribus, vt in ea liberè id quod sentiunt de promant, in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne Consultoribus declinandi in eam partem detur occasio, sed quisque liberius in Domino suam sententiam aperiat.* Hæc autem & Superiori optima quid proponendi est ratio; nimirum id verbis adeo apertis & simplicibus proponere, vt vix ipse superior intelligat, quonam mente propendas; ne id fortè in causa sit, cur postulatis tuis, infirmitatis tuæ ratione habita condescendat; sed dispiciat ac videat, quid hic à parte rei conuenientius sit, nullo ad tuam deurgentiam ac propensionem respectu habito.

Exemplum indifférentia huius.
Iohan. 23. Duo præclara huiusce rei exempla in Euangelio habemus: primum est modus ille & formula, quæ filio suo castissimo Deipara mater, in nuptiis illis ad quas fuerant inuitati vini defectum declarauit; dicens, *Vinum non habent.* Non ait, Prouide, Domine, huic defectui (potes namque) ac supple, ne spon- si pudore suffundantur; solum simpliciter & nude ipsam necessitatem repræsentat.

Secundum exemplum.
Ioan. 11. 3. Alterum est modus ille, quo Maria & Martha fratris sui Lazari inualetudinem Redemptori significarunt: Miserunt namque per nuntium ad eum litteras, quarum hæc erat summa: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Vnde bene super illum locum, sic notat Sanctus Augustinus: *Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non ausa sunt dicere, Veni & sana: non ausa sunt dicere. Ibi iube, & hic fiet, vt Centurio; sed tantum Domine, ecce, quem amas, infirmatur, sufficis vt noveris, non enim amas & deseris.* Hoc ergo modo nostra nos postulata Superiori a-

perire oportet, puta verbis tam clatis & simplicibus, vt necessitatem declarent, non autem quid ipsi desideremus, neu quo inclinemus. Atque ita securi & certi erimus, nobis Superiorem non condescendere, neu nos ipsos nos quæ-
 re.

Hunc proponendi modum expressè nobis in Constitutionibus Beatus Pater noster assignat, de infirmis & ægris agens, qui aliquid mundi clima valetudini suæ obesse sentiunt. Ait ergo ægrum hunc loci mutationem quærere non debere, neu aliquam huc propensionem ostendere; sed suam duntaxat infirmitatem & inualitudinem, nec non ad necessaria ministeria obeunda ineptitudinem declarare; reliquum vero Superiori debere relinquere. Hic itaque tunc dispiciat oportet, num futurum sit expediens alià eum mittere, ubi plus sit fructus meliori vtens sanitate, facturus; vel num è contra major Dei futura sit gloria hoc in loco eum manere, esto minus, atque etiam nihil profusus; agat, quia fortasse id illi in particulari expedientius erit. Si ergo in re, cuius tantoperè nostra videtur interesse, tantam Beatus Pater indifférentiam & resignationem exigit, vt non modò nos loci mutationem petere, verum etiam vllam ad eandem animi inclinationem ostendere nolit, quam petet in rebus alijs, quæ minoris sunt momenti? Quoniam vero subinde rem nec possumus; nec scimus proponere, quin facile Superior intelligat, quid desideremus, & quonam propendeamus; vtile & laudabile imprimis est id, quod vsurpatur à nonnullis nempe vt postquam dilucidè & simpliciter, rem proposuere, Superiorem ex animo rogent, nullam prorsus, vt sui commodi, delectationisque, sed tantum maioris Dei obsequij ac gloriæ rationem habeat; declarantes ei; insigne sibi quoad hoc beneficium collatum iri, ac maximo id solatio fore, quod Dei se in hoc voluntatem

tatem facere intelligant; & e contra maximo cordolio & amaritudini, si cum suo ipsorum nosse desiderio morem velle gerere, quod in eo suam ipsorum, non Dei, nec superioris, voluntatem facturi viderentur.

CAPVT XVI.

De nimia de iis, quæ ad corpus spectant solitudine: & quanto opere in his omnis fugienda sit singularitas.

47. Constit. 1. 2. 1. 1. & regul. 46. summarii.
Sicut B. P. N. laude dignam esse ait moderatam ad diuinum obsequium, valetudinis ac virium corporis curam, ita quoque dicit, nimiam sollicitudinem in iis quæ ad corpus pertinent, reprehensibilem esse. Quoniam verò de primo membro iam locuti sumus, ideo hic iam agemus de secundo. Omnibus quidem in rebus perdifficile est seruare posse medium; maximè tamen & imprimis in hac circa corpus & valetudinem nostram solitudine: proprius namque nostri ipsorum egregius est rei huius curator & paratius, atque ideo quam primum peritum medicum agit, suggeritque hoc officere pectori, illud stomacho, hoc lædi caput, illo oculos, atque ita, sub prætextu necessitatis, sæpe numero insinuare se solet sensualitas & lauitia.

Serm. 30. in Cantica.
Præclare hac de re differens S. Bernardus acius inuehitur in eos, qui nimio opere de corporis valetudine sunt solliciti, & per eius conseruandæ speciem, ciborum quædam effingunt discrimina, quos Hippocratis & Galeni ait potius discipulos videri quam Christi. Hæ namque ciborum exceptiones, differentia & proprietates non in Euangelio, non in vniuersa sacra scriptura, sed in medicorum aphorismis traduntur: Legumina, inquit, ventosa sunt: caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aqua non sustinet peccus, caules nutriunt me-

lancholiam, cholera porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua mea penitus complexionibus non congruunt. Quale est hoc, ut in totis stuuis, agris, hortis, cellariis reperiri vix possit quid comedas. Puta, queso, monachum te esse, non medicum, nec de complexionibus iudicandum, sed de professione. Quatuor autem egregias, eaque apprime practicas, rationes eo loco S. inctus Bernhartus assignat, ob quas communitatem sequi & omnem singularitatem fugere conuenientissimum sit. Parce, inquit, obsecro, primum quidem quieti tue, singularitates quippe illæ magnam secum trahunt inquietudinem ut subinde homo sic apud se disquirere debeat: Mihi ne, quod peto, dabitur, vel negabitur, iam si detur, an non dandum sit ægre & illibenter? & esto mihi detur id, ad tempus differatur, & exspectare cogor; & si forte semel datur, sæpe & ut plurimum non datur. Quanta, in hoc inquietudo consistat, nemo nouit, nisi qui eam experitur? communibus verò contentum esse posse magnam causat quietem: Secundo Parce labori ministrantium. Vide enim qualem in hoc laborem & molestiam crees coquo, refectorii curatori, nec non menæ ministris, dum eos omnes occupas, & ut tibi vni faciant satis eundo redeundoque sollicitos discursare facis. Itaque ab hoc onere & molestia libera. Tertio, Parce grauamini domus. Considera inquam tuis te singularitatis domui valde onerosum & grauem esse: nam commune & ordinarium pro omnibus iam paratum est: & hoc quidem sine vilo prorsus grauamine & onere fit, at tui vnus extra ordinem phantasmatis appetitibus & particulatibus non necessariis morem gerere, permolestum domui est & fastidiosum. Quarto, Parce conscientia, conscientia dico non tua, sed alterius, fratris videlicet tibi assidentis, & data comedentis, quem tua tu in cibo singularitate scandalizas: etenim illi occasionem das interius de te murmurandi, & te ut delicatulum & molliculū culpandi: vel